



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1565**

Ex Epistola Germanica cuiusdam ciuis mansfeldensis Narratio Historica, de  
vltimis Martini Lutheri actis & eius obitu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29789**

scriptum est, hortatu & petitione R. D. Hieronymi VERALLI Archiepiscopi Rollanen-  
sis, Nuncij tunc Apostolici Apud Cæs. Maie-  
statem: Nunc vero Authoritate PAULI III.  
summi Pontificis (exigentibus eius meritis)  
creati & coaptati in Cœtum & Collegium S.  
Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Anno Domi-  
ni M. D. XLIX.

EX EPISTOLA GER-  
manica cuiusdam cuius mans-  
feldensis Narratio Histori-  
ca, de vltimis Marti-  
ni Lutheri actis &  
eius obitu.

*Discordia in-  
ter comites  
Mäsfeld. Ex  
doctrina Lu-  
theri.*



Omni Comites à Mansfeld, in-  
te ortam Lutheri doctrinam, o-  
ptime inter sese concordēs etiā,  
ita quod in omnibus causis in-  
niores deferebant seniorib. eo-  
rumque acquiescerent sententiā. Vbi autē ce-  
pit scribere Lutherus, pars vna eius doctrinam  
acceptavit, pars altera reiecit, factæque sunt res  
eorum deteriores. Post obitum itaque senio-  
rum, qui Catholici fuerant, successores eorum  
in Lutheri partem concesserunt. Vnde speraba-  
tur redintegrandā concordia, sed longe secius  
acci-

accidit. Nam & isti volebant habere partem  
parochiarum, & repetebant ab alienatis census  
onomosque Ecclesiarum, ac speciales in suis Ec-  
clesiis scholas & Concionatores instituebant,  
aque monstrantias, Clenodia, vasaque argen-  
tea exacte rapiebant.

Vnde grauior aborta est discordia. Nam &  
concionatores vtriusque partis male conuenie-  
bant, conuiciis ita contra se inuicem debac-  
chantes, vt pugnis aliquando potius quam ver-  
bis iurari mallerent, & alter alteri in faciem expue-  
rit. Præcipue vero de Venerabili Sacramento  
altaris diuersa sentiebant. Pars enim negabat in  
hostiis (vt vocant) consecratis quæ post com-  
munionem populi residuæ manent, remanere  
aut esse amplius corpus & sanguinem Christi.  
Pars altera contrarium asserabat, & prouoca-  
bant se inuicem ad disputationis publicæ certamen.  
Cumque Vuittembergam deuoluta esset  
causa, Luthero absente, Philip. Melanthon ap-  
probauit sententiam eorum qui negant remanere  
corpus & sanguinem Christi. Vbi autem  
domum rediit Lutherus, comprobauit alterius  
partis opinionem: sic tamen, vt iuberet vltimos  
communicantes semper sumere cunctas ho-  
stias residuas, etiam si 4. aut 5. sumendæ sint, simi-  
liter & totum quod in calice superesset, exhau-  
rire. Gliscebatur itaque discordia vehementer,  
non solum inter Concionatores, sed etiam in-  
ter ipsos Comites, qui ea æmulatione moti, di-  
scordabant & sibi inuicem impedimento erant.

Pp iij

*Discordia in-  
ter Concionato-  
res Luth.*

*Aduentus  
Luth ad Isle  
bium.*

*Sermones Lu  
theri.*

Lutherus his intellectis, assumptis secum Phi-  
lippo & Iona, In Vigilia Natalis Domini venit  
Mansfeldiam, velut mediator quidam, Cumq;  
per dies octo nihil efficeret, iussus est redire ad  
festum Conversionis S. Pauli. & ediit ergo Sab-  
bato ante iam dictum festum ad oppidū Hal-  
lis, diuertens in ædes Ionæ, & aquarum inun-  
datione cogebatur Quatriduum ibi subsistere,  
licet Islebij interim quotidie pararentur pro ip-  
so & comitatu ipsius epulæ. Sala enim fluitans  
nimium excreuerat, vt transire non potuerint.  
Tandem feria Quinta miserunt ei obuiam Co-  
mites Curram & LX. equites armatos, qui in-  
ferunt Tres cymbas coniungi, vt eo tutius tra-  
fretare possit Lutherus, qui ægre persuasus, tra-  
nsito nauiculis amne, curram ascendens Islebium  
peruenit. Vbi, ergo in Islebij Suburbanum per-  
uenerunt, Equites è Bombardis globos emi-  
tentes, fecerunt, vt Lutherus infirmaretur, Cur-  
rente autem vno equitum festinanter in ipsum  
oppidum, attulit vinum & cereuisiam, sumpto  
itaque cibo & potu refocillatus est, licet Paulo  
antea Hallis opiparum habuerat prandium.  
Non igitur leiunio sibi accersierat infirmitatē  
illam. Magna vero cum pompa & occurſu ple-  
bis, quæ quatriduo prius aduētum eius frustra  
expectauerat, ingressus est oppidum. Caterum  
die Dominica post festum conuersionis Pauli  
in Papam sacerdotesque & Monachos vehe-  
menter

menter inuectus . Deinde in festo Purificatio-  
nis iterum concionatus , tantum habuit plebis  
vndique ex pagis & oppidulis circumiacenti-  
bus concursum , quantum vix haberet Paulus  
ipse si nunc prædicaret . Vbi inter cætera dixit,  
Vnumquemque debere Dei dona sibi collata,  
in alios distribuere, non in Monasterio celare,  
sed exire in mundum & prædicare. Dedit mihi  
Deus (inquit) intellectum scripturarum, vt eas  
recte interpretari sciam , non Papa cum suis  
Cardinalib. & Episcopis . Ego vnã Quintu-  
lam intellectus mei non darem pro Centum  
Centenariis intellectus illorum. Finito autem  
sermone in hospitium reuersus, prandium op-  
pore paratum sumpsit, mox autem allato se-  
cundo ferculo, caminus ædium ardere cœpit,  
& ex proxima quoque domo erupit incendiũ,  
Speculator duos videns ignes insonuit è turri,  
magnusq; factus est concursus populi, pro eo,  
quod Ecclesia canit illo die, Lumen ad reuelationem gentium.

Quando autem in publicis tractatibus non  
erat Lutherus, habebat in cista sua librum , in  
quem scribebat. Aiunt eum librum ad Cæsarem  
ab eo scriptum esse, contra Louanienſes & Co-  
lonienſes (quos in concionibus suis conuicio-  
se dicebat crassos asinos, bacchantes & bubal-  
los) nec ab ipso quidem Cæsare temperare cala-  
mum . In eam vero cistam impingens crus  
suum casu Ionas , tam grauiter læsus fuit , vt  
Quatuor opus habuerit Chirurgicis.

Pp iij

*Nouus liber  
Luth.*

Eum autem librum nondum consummatum ab eo, debet Doctor Cruciger completere, qui ei successurus sit, sicut Eliseus Eliæ. Dominica die post Purificationis, tertia vice prædicauit

*De zizania.*

Lutherus, loquens de superseminata zizania: Per quam intellexit Anabaptistas, Suermeros, Munceros &c.

Qui non ex culpa patrisfamilias (Lutheri scilicet) sed ex Diabolo creuerunt: Ille enim sacellum suum semper iuxta Ecclesiam Dei ædificat (inquit) Perdi quidem aut interimi non debet, sed permitti vsque ad Messem. Prohiberi tamē

*Duo Lutherani presbyteri.*

debent à publicis Concionibus & sacrorum administrationibus, ut in angulis dumtaxat secum missitent ipsi & Papistæ. Eadem septimana, cū duo essent a Luthero ordinādi, examinati sunt à Iona, quorum vnus iam prius vltra sex menses Parochialem habuerat Ecclesiam & prædicauerat. Interrogatus ergo à Iona quidnam differentiæ sit inter peccatum veniale & mortale, perparum respōdit, quia perrara est ea quæstio.

*Sapientes huius mundi.*

Dominica autem die ante Septuagesimam prædicauit hoc Euangelium. Confiteor tibi pater cæli & terræ &c. Vbi sapientes huius mundi dixit esse Papam, Cardinales, Vniuersitates, presbyteros, Monachos & Moniales, suos autem dicebat esse paruulos, Deinde contra Iudæos multa dixit, sæculares quoque potestates, qui eos tolerant, repræhendit, qui participes forent omnium peccatorum quæ illi committunt, blasphemantes Christum & matrem eius, qui sciunt

toxica

toxica parare Christianis, quæ non statim ope-  
rentur, sed eorum vis differri queat ad Duos  
aut Tres dies, ad duas aut Tres septimanas aut  
duos aut Tres menses, immo ad X. aut XX. an-  
nos. Maxima hyperbola, Eiciendos igitur esse,  
non tolerandos. Deinde ordinabat in choro du-  
os allos examinatos per impositionem manuū  
cantando. Veni sancte spiritus. Item in hospiti-  
o suo scripsit in pariete hanc sententiam. Nō  
possumus facere quod omnibus placeat. Possu-  
mus autem facere quod nobis placet. Ea verba  
plurique transcripserunt, & vnus sic, alius ali-  
ter interpretatus est. Feria secunda lætam pere-  
git cœnam, habens conuiuiam quandam è Frac-  
fordia quæ ad Menum est, venientem. Is de no-  
uitatibus ab eo interrogatus, respondit inter cœ-  
tera, Papam Paulum esse mortuum. Ait ergo Lu-  
therus, Quatuor iam Papas superuixi factus il-  
lis contrarius primum propter pallium, quod  
est restis Canabacea, pro qua sane dare oport-  
uit Episcopum Moguntinum circiter tē Cen-  
tum Millia florenorum. Putaueram eū ea recte  
suspensum iri, sed successor eius ea suspenden-  
dus est, si non tamdiu vixero ego, superuiuent  
tamen alij.

Feria Quarta in cœna rursus valde lætus fuit,  
& facetiis fabulisque recitandis dicax, omnibus  
mouens risum. At circiter horam Octauam cō-  
questus est, se aliquantulum male habere, sicut  
epistola de eō scripta refert. Post medium no-  
ctis tepente vocati sunt ad eum Duo Medici:

*Iactantia  
Lutheri.*

quorum alter, Doctor, alter Magister erat: Qui  
vbi aduenerunt, non reppererunt in eo vllum  
amplius pulsum. Scripserunt tamen mox Rece-  
ptum quoddam pro immittendo Clisterio seu  
Enemate.

*Enema seu  
Clisterium mor-  
tuo datum.*

Excitatus itaque Apothecarius seu Pharma-  
copola, hora Tertia post medium noctis, in-  
fusus est parare Clisterium & afferre ad Lutherum.  
Is vbi aduenit, & medicorum iussu tempera-  
set atque calefecisset paratum Clisterium, pu-  
tabat illum adhuc viuere. Cumque versum es-  
set corpus, vt ei Clisterium applicaretur. Apo-  
thecarius videns eum mortuum iam esse, ait ad  
Medicos, Mortuus est, quid opus est Enemate.  
Aderat Comes Albertus & nonnulli homines  
eruditi. Responderunt autem Medici, Quid tibi  
Appone Clisterium, si forte superfit vllus ad-  
huc spiritus, vt reuiuiscat. Ille ergo cannulam  
apponens, sensit in saccum Clisterij ex ire qual-  
dam ventositates & bombos: Erat enim totum  
corp<sup>9</sup> refertum humoribus ex superfluo cibo,  
potuque Habuerat enim coquinam magnifice  
instructam & vinum dulce atque exoticum per-  
multis metretis abundans in hospitio. Aiunt sa-  
ne, Lutherum omni prandio & cena vnum e-  
bibisse sextarium vini dulcis & exotici. Vbi igitur  
Apothecarius Clisterium in corpus torsit  
& infudit, totum refusum est e corpore in le-  
ctum, qui splendide prae paratus erat. Ait itaque  
Medicis Apothecarius, Non remanet Cliste-  
rium, dixerunt illi. Omitte igitur,

Con-



Contenderunt autem inter sese duo illi Me-  
dici de genere mortis Doctor dicebat Apople-  
xiam fuisse: Vifa est enim tortura oris, & dextrū  
latus totum infuscatum. Magister vero, qui pu-  
tabat tam sanctum virum non debere manu  
Dei per Apoplexiam interimi, dicebat fuisse Ca-  
tarthum suffocatum, & per viam suffocatio-  
nis mortem intrasse. His ita peractis, aduene-  
runt alij quoq; Comites omnes, Ionas vero se-  
dens ad caput defuncti, vehementer lamentaba-  
tur, manus inuicem contorquens & iactitans.  
Interrogatus ergo, an Lutherus hesternō (iam  
enim initium erat Diei sequentis quæ erat feria  
Quinta & Februarij Decima Octaua) vespere  
conquestus de aliquo fuisset dolore. Respondit  
ille, Ah non, fuit enim heri ita lætus, sicut nun-  
quā fuit, Ah Domine deus, Domine Deus &c.  
Inter ea Comites preciosi odoris aquam attule-  
runt, qua fricaretur corpus defuncti. Quando  
quidem & antea aliquoties pro mortuo habitus  
fuerat, sine motu & sensu vitæ aliquandiu iacēs,  
Id quod Smalcaldia quoque eidem acciderat,  
quando calculo excruciatu esset. Quemadmo-  
dum ipse de hoc libellum scripsit Latine, cuius  
initium est, Postquam resurrexerim à mortuis,  
Idcirco iussus est Apothecarius odorifera aqua  
illa vngere ac fricare corpus mortui. Qui sine  
sedulo ac impigre iussa peragēs, applicuit aquā  
illā multis fricationibus aliquādiu naribus, ori,  
fronti, pulpulsui, ac māmā sinistra. Sed & illu-

*Diffensio in-  
ter Medicos  
de morte Lu-  
theri.*

*Fricatio cor-  
poris mortui.*

stris Princeps ab Anhalt Vuolfgāgus incubuit super funus, interrogans Apothecarium, an vspiam deprehendatur aliqua vena vitæ: Respondit ille, Nihil prorsus vitæ superesse, quia manus, nasus, frons, genæ, aures, mortis frigore algeant. Os quoque tangendo aperuit, sicut in syncopi fieri solet, sed frustra. Oculos item aperuit & iterum clausit. Rupti enim erant: Omnibus igitur frustra tentatis, destitit ab eo labore. Ionas ergo, vt hæc vidit, stans ait. En iacet hic vir, videte quomodo dormit, qui Ecclesiam Dei rexit, O Deus, exuscita alium in bonum Ecclesiæ tuæ. Et addidit illud: fratres ac Generosi Domini, optimum nunc fuerit, vt mittatur velox eques ad Electorem Principem, & sedeat aliquis ad scribendum ei omnia, sicut acciderunt.

*Fabula ex ore  
Luthi repetita.*

Habuit Lutherus quendam apud se Magistrum, famulantē sibi. Qui à Comitibus interrogatus, an Lutherus præcedente vespere dolore aliquo conquestus fuisset. Respondit, eum ita lætum fuisse, vt longo tempore tam lætus non fuerit. Narrabat enim historiā de quodam, qui diabolo se addixerat, magnam passus famem, vt ipsum cibaret, Diabolus ergo procurans abundanter & elixas & assatas carnes, vbi vidit eum plene saturatum petiit ab eo animam ipsius, promissam sibi, quia iam satur esset. Ille autem respondit, expectandum esse donec moreretur. Non enim corpus, sed animam ei addixerit. Contra vero ait diabolus Nonne

Nonne qui equum emit, frennum quoque e-  
 qui retinet? Annuente illo, intulit Diabolus  
 sic. Anima equus est, corpus frenum, atque his  
 dictis abripuit eum cum corpore pariter & ani-  
 ma. Latini itaque fuerunt omnes, qui hæc & id *Tuba stannea*  
 genus plura ab eo audierant. Post hæc procura-  
 runt Comites stanneum fieri loculum, in quo  
 positum est funus & repositum in habitacu-  
 lum quoddam hospitij. Omnibus tamen ad  
 inspiciendum expositum. Sed & piætor quidam  
 ex Hallis confestim vocatus, iussu Comitum,  
 mortuum, vt erat, depinxit. Cumque multus a-  
 disset populus, ait Ionas, O chare popule, in-  
 spicite eum diligenter. Inspicite satis, Hic est  
 vir ille qui dormit hic, qui multa millia milliũ  
 animarum redemit, O adiuuate orãtes, vt Deus  
 alium in locum eius substituatur.

Feria sexta, hora XII. Tres facti sunt com- *Pompa fune-*  
 pulsus maximarum campanarum per omnes *brys.*  
 Ecclesias. Deinde omnium campanarum si-  
 mul. Aduenerunt itaque omnium scholarum  
 scholares cum crucibus, ad deducendum fu-  
 nus, Quod portabatur, è domo doctoris Drag-  
 stetini, a Concionatoribus & Senatoribus, se-  
 quentibus post feretrum omnibus Comitibus  
 de Mansfeld, in Ecclesiam S. Andræ, vbi de-  
 ponebatur in Choro. Ascendens autem in sug-  
 gestum Ionas, concionatus est ibi adeo furio-  
 se, vt plerique dicerent, vere Muncericam  
 (hoc est seditiosam) fuisse eam concionem.

Ea vero funeris pompa ab hora XII. vsque ad  
 Tertiam post meridiem extracta est, antequam  
 è domo funus exportaretur. Et permultus a-  
 derat populus ex multis pagis & oppidulis.  
 Pictor vero Hallensis iussus est illo tempore ad  
 huc semel, & melius quidem quam antea, cor-  
 pus mortui depingere. Quoniam vero aspe-  
 rum & intensum erat frigus, multi expectan-  
 tum eam pompam dilapsi sunt & abierunt, tum  
 propter frigoris molestias, tum quod putabant  
 nonnulli, sanctum virum inter moras (dum de-  
 pingeret mortuum denuo pictor prædictus) à  
 morte resuscitatum esse. Ea igitur nocte stetit  
 funus in sacratio Ecclesiæ S. Andrææ, quod  
 XI I, ciues vigilando custodierunt, bonam bi-  
 bêtes Cereuisiam, pro missa defunctorum, quam  
 Requiem vocant.

*Funus Vuit-  
 tenbergam a-  
 ductum.*

*Ingressus fu-  
 neris in Vuit-  
 tenbergam.*

Sabbato, postquam rediit ab Electore Prin-  
 cipe Eques, referens illius responsum, ut remit-  
 teretur Corpus Vuittenbergam, iterum factus  
 est compulsus omnium campanarum per om-  
 nes Ecclesias, hora XII. post meridiem. Hora  
 itaque vespertina, adductus est Currus ad  
 Templum. Cui impositum est funus, super in-  
 ducto panno holoserico, cui crux alba erat ad-  
 fixa. Deductum est itaque funus, 40.  
 Equitibus. Aduhebantur simul Ionas &  
 Celius & duo Comites Iuniores.

Et procedebant vsque foras ciuitatem post  
 funus omnes Comites de Mansfeld, Senatus,  
 om.

omnes scholæ & plebs, bene longam viam a Ciuitate, Venit eo vespere funus ad Hallis, vbi ad pontem obuios habuit scholares, qui cantu susceperunt illud, Quod ea nocte in Ecclesia B. Virginis (in qua Ionas Prædicare solet) seruatum & vigiliis custoditum est. Die Dominica vltius vectum fuit, Et feria secunda Vuittenbergam vsque peruenit, Vbi ad Pontem obuios habuit Collegium Vniuersitatis totumque senatum & plebem Ciuitatis. Doctores & Magistri parauerant feretrum, In quo mortuum deferre cupiebant, tanquam Doctorem & Præceptorem suum. Quoniam vero cadauer maxime fœtidum factum fuerat (quamuis vehemens esset frigus) non est permissum è curru deponi vt portaretur, ne fœtor noceret. Vectum est itaque vsque ad Arcis Ecclesiam, vbi paratum ei erat sepulchrum, iuxta sepulchram Ducis Friderici, In quo simul cum loculo stanneo sepultum est. Aiunt super sepulchrum ponendum esse lapidem, obrectū fusili aurichalco, cum hoc, quod sibi ipsi composuerit Lutherus Epitaphio.

*Pestis eram viuens, moriens  
tua mors ero Papa.*

Domini Comites à Mansfeld donarunt Ka-  
therinæ à Bora, vxori Lutheri, Duo Milia flo-

*Donationes  
Electoris &  
Comitum.*

renorum in Consolationem, & Tres filios eius a pedibus vsque splendide vestierunt. Elector quoque Centum Taleros in solatium misit, & pro Monasterio persoluit ei Tria Millia florenorum, aliamque donabat ei domum, & filios curæ habebat. Ionas quoque Islebij largam accepit donationem, & Elector donauit eum cypho venusto & in eo CC. Taleros addidit, in consolationem scilicet.

Non relinquam vos orphanos Alleluia.

Adhuc autem feruet discordia inter Comites, acrior etiam quam antea. Mors enim Lutheri eos coire corpore coëgit, non animo. Et ille fucatus congressus Comitum fecit, vt iam in extremis agat, mox acturus animam suam, Comes Philippus, Traxit is morbum suum ex nimis vini potationibus, quas noua illa & personata concordia causata est. Eius morbus desperatus est, omnibus accersitis Medicis. Hæc parit illa simulata amicitia Quæ non à Deo, sed à Mammona & à Baccho initium habet.

Habebimus, timeo, acriora dissidia, mortuo hoc Comite. Confluunt vndique Euangelistæ, suadentes super communione vtriusque speciei, sed vt audio, hæcenus renuit.